



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Emblema tabulæ quæ post tergum uisitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38397**

## Emblema II. Primæ Tabulæ.

Vir timoratus.

*Curauit Stephanum, & fecit planctum magnum  
super eum. Act. 8.*

**I**DEM Tabulæ depicta uidetur, & S. Stephani Pro-  
thomartyris effigies, cuius historiam, idest Lectio-  
nes nocturnas, & Officium tam diurnum, quàm  
nocturnum, quousque in præfens Sancta Roma-  
na Ecclesia in Breuariis suis utitur, composuit hic  
Alcuinus noster pro sua in eum deuotione, *vt re-  
fert Rat. diuin. offic. lib. 7. c. 42. & alij nonnulli.* Et licet, & aliorum  
multorum Sanctorum officia, ac cantus fecerit (torum enim of-  
ficium Ecclesiasticum, per Attilam in multis Germaniæ, & Galliæ  
partibus igni traditum, ipse in melius restituit, quod à Concilio Mo-  
guntini Patribus approbatum Ecclesiæ Germanicæ præfertim, &  
Gallicæ, inseruiuit, usque ad Concilium Tridentini tempora) nullum  
tamen eorum apponendum iudicauimus, quod de nullo quoquam  
præterquam de S. Stephano particularis fiat memoria. Tribuitur  
hæc laus à nonnullis Stephano Episcopo Leodiensi X. sed is. In-  
uentionis tantum Responsoria fecit, ut cum Demochare de sacrifi-  
Missæ, tomo 2. c. 37. narrant *Rationalia diuinorum.*

## Emblema Tabulæ, quæ post tergum uisitur,

Ipse enim,

*Sub ipsa Arce Gymnasium constituit. 2. Mac. 4.*

**V**M autem esset in omni scientiarum genere suo  
tempore celebratissimus, Carolique Magni præ-  
ceptor, qui eum magistrum suum deliciofum uo-  
cabat, ad sacrosanctæ Ecclesiæ laudem, rei que lit-  
terariæ commodum, Studium Parisiense, quod in  
Symbolo fœminæ denotatur, à Roma transla-  
tum, primum omnium instituit, primosque Magistros mona-  
chos omnes, Rabanum uidelicet, Ioannem, & Clementem, ad  
iuuentutem litteris disciplinisque imbuendam, ordinauit. Vnde  
facile est uidere, quod ab aliis multis memoriæ proditum est,  
quicquid, uel politioris litteraturæ, uel solidioris doctrinæ, in

Bbb 4 illa

illa Academia, & tribus aliis de quibus mox agemus, iam nigeat, ex schola Benedictina tanquam ex fonte emanasse. Quantum vero his artibus melioribus instaurandis, litterarumque seminibus per Galliam, & Germaniam, profeminandis, sibi laudis meruit, duo Germani Poetæ his versibus docent;

*Quid non Alcuino sacunda Lutetia debes?*

*Instaurare bonas ibi qui feliciter artes,*

*Barbariemque procul solus depellere cœpit.*

Et alius.

*Ecce senex quidam varijs agitatus ab austris*

*Attulit optatos in loca Gallia pedes.*

*Nomen adhuc meminit quamvis cariota vetustas.*

*Alcuinus meritum posteritatis habet.*

*Quas posuere scholas superare palatia regum,*

*Structuris, spatio, sumptibus, arte putes.*

*Centum mygdonio collegia stantia saxo*

*Magnificas cingunt conspicienda domos*

*Singula mille strepunt post tintinabula linguis,*

*Inceptum vario, murmure feruet opus.*

Hactenus Eustachius Prutenus de Parisiorum laude.

Scripturam quoque compositione non mediocriter Ecclesie profuit: Scripsit enim.

Interpolatæ expositionis ex Patrum sententiis in Genesim breue commentarium, forma dialogistica: qui excusus est Parisius, in tomo 7. Bib. SS. Patrum Marg. de la Bigne.

In quindecim Cantica graduum, id est, a Psalmo 119 vsque ad 133. morales annotationes.

In Psalmum 118.

In septem Psalmos Pœnitentiales.

In Cantica Canticorum, lib. 1.

In Ecclesiasten, lib. 1. excusus Basileæ per Bebelium, anno 1531.

In Ioannis Euangelium, lib. 7.

In omnes Pauli epistolas, lib. 14.

In Apocalypsim, lib. 1.

De uita S. Vedasti Episcopi, lib. 1. excusus Tomo 1. Surij die 6. Februarii.

De uita S. Richarii Abbatis, lib. 1. qui excusus est Tomo 2. Surij 26. Aprilis.

De

De vita S. Vuillibrordi Episcopi, metro, & ptofa, lib. 2. pro-  
fam adferri Surius Tomo 6. die 7. Nouembris: Metricam  
item extare MS. didici.

Ad quaestiones Frædegisi, lib. 1.

Ad Guidonem, De virtutibus & uitiis, lib. 1. excusus Ha-  
ganoæ, 1529.

Confessionem fidei, siue doctrinam de Deo, lib. 1.

De Sancta Trinitate, lib. 3.

De adoptione filiorum Dei, lib. 1.

De Ecclesiasticis dogmatibus, lib. 1.

Speculum paruulorum, lib. 1.

Quaestiones in Genesim, lib. 1. excusus

Haganoæ anno 1529. per Ioannem

Secerium.

De nominum Dei proprietate, lib. 1.

Dialogorum ad discipulos, lib. 1.

De septem artibus liberalibus, lib. 1.

Enchiridion, in quibusdam Psal. lib. 1.

De Benedictionibus Patriarcharum,

lib. 1.

Sententiarum, lib. 1.

Ad Eulaliam, de natura & immortali-

tate animæ, lib. 1.

Prognosticon de futuro seculo, lib. 1.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Hæc fere omnia, aut  
saltem pro maiori  
parte, excusa sunt  
Parisiis in Tomo se-  
ptimo Bibliothecæ  
Sanctorum Patrum,  
Margarini de la bi-  
gne, Doctoris Sor-  
bonici: & nonnulla  
in Homiliario.

Rhetoricæ & Dialecticæ eius, institutiones politicæ, imperiales,  
& uerè heroicæ, cum scholiis Matthæi Galeni, excusa sunt Dua-  
ci, anno 1568. in 8. & Haganoæ, 1529. Omnia autem eius opera,  
pro maiori parte, impressa sunt Parisiis, Colonia, & Basilea: Col-  
legit etiam & in ordinem redegit iussu Caroli Magni præstantissi-  
morum Ecclesiæ Doctorum Homilias in Euangelia, quæ per anni  
circulum publicè in templis leguntur: uidelicet, Augustini 48.  
Hieronymi, 6. Ambrosii 10. Hilarii 1. Fulgentii 2. Origenis 4. Ma-  
ximi 17. Chrysostomi 11. Seueriani 1. Leonis 21. Gregorii 39. Bedæ  
43. & Isidori 1. Reliquæ quæ nunc in eius homiliario leguntur, adie-  
ctæ sunt à D. Laurentio Surio Carthusiano. Excusum est huius-  
modi homiliare sæpius diuersis in locis, ut Colonia apud Mater-  
num Cholinum anno 1557. in folio, & ibidem 1539. in fol. itemque  
1569. in fol. Parisijs, 1535.

Claruit

Claruit hic vir sanctissimus, & doctissimus temporibus Caroli Magni Regis Galliarum anno Domini 760. & quod excurret, & tandem meritorum laude cumulat, de Ecclesia, monastico ordine, & litteraria bene meritus, non sacerdos, sed Diaconus tantum, & tonis in Domino obdormiuit die 14. Calendas Iunii.

D. STRABVS DIACONVS:

Et S. T. Doctor, Glossæ Ordinariæ

auctor.

*In medio Ecclesie aperuit os eius. . Eccles. 19.*

Cap. XCIII.



N non admiranda quoque videtur illius quæ nachi legentis habitu tertium huius rami locum ornate conspicitur, diligentia? qui cum esset in humanis litteris apprime eruditus, & sanctarum scripturarum lectione diues, ex opusculis & scriptis Sanctorum Patrum, omnium primus in uis comportauit, Glossam, quam uocamus, ordinariam, super totam Bibliam; opus tantæ utilitatis, ut omnem procul excedat laudem. Quis autem ille fuerit liber eius quem præ manibus habet, edoceat, Frater scilicet Strabus monachus Fuldenensis ordinis S. Benedicti congregationis Luxouensis, & Rabani Episcopi quondam discipulus, & scriba; qui doctrinæ suæ memoriam posteris reliquit, cum in præfato opere, quod sæpius diuersis in locis priuatim, & aliis ecclesiarum patrum sententiis auctum, excusus est: tum etiam in aliis suis cubrationibus quas edidit, quæ fuerunt,

In Genesim, lib. 1. In Exodum, lib. 1. In Leuiticum, lib. 1.

Claruit anno Domini octingentesimo quadragesimo, & quod excurret, Trittemius de script. eccles. & de uir. ill. Ord. S. Ben. lib. 2. cap. 41. Sixtus Senensis lib. 4. Bib. Sa. & alij.

S. NEO.